


**Breve Papae Ad Regem Christianissimum : [Datum Romae ... die 20 Januarii.
1683]**

[S.l.], [1683]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn803491085>

Druck Freier  Zugang







37. - 7.


N^o - 1423.

BREVÉ
PAPÉ
AD
REGEM
CHRISTIANIS
MUM



B R E V E
P A P Æ
A D
R E G E M
C H R I S T I A N I S -
S I M U M .





Innocentius P. P. XI.



Harissime in Christo Fili noster salutem & Apostolicam Benedictionem: quantus & quàm formidabilis Turcarum adversus Hungariæ Regnum, apparatus, quæq; eidem Regno universæq; Christianæ Reipublicæ ab immanissimo hoste tempestas impendeat, satis superq; notum atq; exploratum est Majestati tuæ,

Et si autem de Excelsi invictiq; animi Tui magnitudine adeò præclarè sentimus, ut persuasum, facilè habeamus, Te in tanto rei discrimine digna Christian. Rege suscepturū, eidemq; gravissimè periclitanti fortissimis Exercitibus tuis, quorū Virtus & robur atq; gloria toto terrarum orbe celebratur, nullo modo defuturum, ea tamen est causæ Conditio, illud Pastoralis Officij nostri debitum, ut præmittere non possimus, quin Majestatem tuam vehementissimo Cordis affectu rogemus, hortemur, atq; per Viscera Domini nostri Jesu Christi obtestemur,

mur, ut oblatam eximiam occasionem Christiani
nominis adversus Barbarorum impetus tuendi, eorumq; ferociam ac inexplebilem dominandi libidinem retundendi elabi non finas, sed eo zelo ab inclytis Majoribus tuis hæreditario quasi Jure in te transfuso, quo hæresin tam feliciter hæctenus expugnasti, & porro expugnare non cessas, victricia arma tua in eosdem Barbaros Populo Dei vivi temerè insultantes immittas & immanitatem, quâ perfidiæ suæ abominationem in Christianas Ditiones proferre, moliuntur, Regiæ Virtutis brachio compescas. Quod si fortè Regni tui rationes, quod non putamus, id non permiserint, illud saltem præstes, ut tam necessario tempore ab armorum tuorum metu Germania aliæq; Christianæ Provinciæ liberentur, quo Charissimus in Christo Filius noster LEOPOLDUS Romanorum Rex in Imperatorem electus, cæteriq; Principes vires suas eò convertere valeant, uti in consimilibus casibus unanimiter ac certatim privatis sepositis ac posthabitis dissidiis, ut publicis malis occurrerent, facere consueverunt.

Non arbitramur, necesse esse pluribus apud Majestatem tuam hac de re agere, Te enim & tuo opte ingenio ad Magna & Illustria quæq; ac præsertim illa, à quibus Christianæ Religionis securitas pendet, amplectenda proclivem esse perspectum
habe-

habemus: Et ea infidet animo nostro de tuâ pietate ac sapientiâ opinio, ut ab ijs tibi satis incitamenti futurum non dubitemus, Reliquum itaq; est, ut ubi nostris totiusq; Reipublicæ Christianæ votis, quæ per nos te alloquitur, annueris, â divinâ bonitate liberali egregiorum operum remuneratione constantem rerum secundarum faustitatem Tibi Regiæq; Domui pollicearis, dum nos enixis ab eâdem precibus id flagitantes uberioremq; sensuum nostrorum prosecutionem dilecto Filio Nobili Viro Duci d' Estrée cui eos diligenter aperuimus, ut ad te referat, relinquentes Majestati Tuæ Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo


Piscatoris die 20 Januarij 1692



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

E. Lorenz
Buchbinder
in ROSTOCK





latam eximiam occasionem Christiani
versus Barbarorum impetus tuendi, co-
ciam ac inexplebilem dominandi libidi-
lendi elabi non finas, sed eo zelo ab in-
ribus tuis hæreditario quasi Jure in te
quo hæresin tam feliciter hæctenus ex-
porro expugnare non cessas, victricia
eosdem Barbaros Populo Dci vivi teme-
es immittas & immanitatem, quâ perfi-
ominationem in Christianas Ditiones
oliuntur, Regiæ Virtutis brachio com-
quod si fortè Regni tui rationes, quod
is, id non permiserint, illud saltem præ-
necessario tempore ab armorum tuo-
Germania aliæq; Christianæ Provinciæ
quo Charissimus in Christo Filius no-
OLDUS Romanorum Rex in Impera-
tus, cæteri q; Principes vires suas eò con-
eant, uti in consimilibus casibus unani-
ertatim privatis sepositis ac posthabitis
publicis malis occurrerent, facere con-
arbitramur, necesse esse pluribus apud
tuam hac de re agere, Te enim &
enio ad Magna & Illustria quæq; ac præ-
à quibus Christianæ Religionis securitas
nplectenda proclivem esse perspectum
habe-